Priori editis Epistola 49.

N.

Amicissime d. Anslari. Quandoquidem mihi duplex visum propinas in tuis literis, de meliori tibi primùm respondebo. Gaudeo, quòd te tam bene affectum erga sacra studia animadverto. Gaudeo, quòd te habeo in Zelandia sectatorem sententiæ meæ. Nam et alibi, credo, opus esset nobis denuùm prudentia. Multi enim vix legunt eu, de quibus judicant, et thesis meæ necdum sunt in omnium manibus. De scrupulis tuis sic respondeo. Abrogata propria ac justitiam est juris naturæ, sed quòd præsupponit peccatum. Sed, etiamsi non extet peccatum, jus naturæ est, ut judices, ad propriam justitiam æquiri absentiam peccati, et eam cum peccato consistere non posse. Ita etiam angeli judicant. Cæterum meminimus sæpiùs monere, Decalogum esse legem respicientis; quæ præsupponit peccatum. Quòd autem Ezechiel dixit, Dedi illis leges meas, quas qui fecerit, vivet in eis; significat, respicientis nullam aliam ~~vel~~ indolem esse, quàm ut bona ea præcepta, à quibus defecit, diligere rursus incipiat. Cæterum, cum dilectione viti domo justitiæ et sanctificationis, indicat, quòd addit; אני יהוה מקדשם. At, inquis, quare solum Sabbatum in Decalogo est? Respondeo in Epistola ad Hebræos: Cumulus cærimoniarum impositarum populo, præter libera sacrificia, ut omnes graviùs delinquentibus et refractariis et in fœdus violantibus impositus est. De ea re, puto, age ad Hebr. 8: 9. Et Ezechiel id docet c. 25. ~~octi~~ cap. 20. Rectè judicas, quare primi Sabbati mentio fiat in Decalogo. Quòd in Deuteronomio ratio Sabbati repetitur à servitute Ægyptiaca sublata, nonne id clarè docet, Deum præcepisse sabbatum ut esset in signum ~~in~~ quietis ab opere servitutis legalis? Si jam in terra omnes quietem adepti essent, non daretur distinctio quietis et cessationis servilis in ipsa terra, nec servorum et liberorum. Certè, ut ipsa eductio ex Ægypto est symbolum et pignus veræ libertatis, ita et Sabbatum. Hæc ratio tacetur in Exodo, sed ex re ipsa intelligitur. Moses in Deuteronomio explicat. Quod vinum attinet, opera nunc laudamus; laudabimus ipsum vinum, cum gustaverimus.